UNIVERSITY OF ILLINOIS

Tulliana

scripsit

Rudolfus Klussmann

Phil. dr.

Zu der

Feier des Heinrichstages,

welche

Donnerstag, den 12. Juli 1877,

Vormittags 10 Uhr

in der Turnhalle des Fürstlichen Gymnasiums

begangen werden soll,

ladet ehrerbietigst ein

Director Dr. A. Grumme.

Gera.

Druck der Hofbuchdruckerei: Issleib & Rietzschel.

1877. Progr. Nr. 576.

871
C7.Ykl
Classica

GYMNASIO SCHLEUSINGENSI

ANTE HOS TRECENTOS ANNOS

AUSPICIO ET MUNIFICENTIA EGREGII PRINCIPIS

COMITIS HENNEBERGENSIS GEORGII ERNESTI

CONDITO

ATQUE EX EO USQUE TEMPORE

LAETISSIMIS INCREMENTIS

AUCTO

SOLLEMNIA SAECULARIA

DIEBUS II. III. IV. M. JULII A. MDCCCLXXVII

RITE

CELEBRANDA

PIE GRATULANTUR

GYMNASII GERANI

DIRECTOR ET COLLEGAE.

Cicer. Phil. I 1. 3.

Cicero in exordio orationis philippicae primae M. Antoni, qui XVI. kal. april. senatu in aedem Telluris convocato praeclare dixerat, egregiam in rempublicam voluntatem ita laudat, ut omissis ceteris rebus ad singularem aliquam rem festinet.

Dictaturam, ait, quae iam vim regiae potestatis obsederat, funditus ex republica sustulit, de qua ne sententias quidem diximus.

Ita codices et editores ad unum omnes, parum, ut mihi quidem videtur, recte. Nam non de ipsa dictatura, sed de tollenda dictatura agi ipsius loci ratio docet, ut, quo modo de qua i. e. dictatura ferri possit, equidem non perspiciam. Sunt quidem, qui *κατὰ σύνεσιν* locum explicandum esse sibi persuaserint multosque locos ciceronianos in auxilium vocare posse sibi videantur, ex quibus neglegentius quidem, sed recte Ciceronem ita scribere solere adpareat. Cum vero diversissima fere miscuerint, operae pretium esse visum est, denuo locos illos sub examen vocare quidque de eis statuendum sit, quantum quidem potero, luculentius exponere.

Atque primo loco ea exempla adferunt, quibus ex praecedenti aliquo substantivo abstracto supplendum sit eiusdem notionis concretum quoddam. Veluti in oratione pro Sestio habita 33. 71: ingredior iam in Sestii tribunatum; nam hoc primum iter **designatus** (sc. tribunus) reipublicae causa suscepit, ubi Halmi nota in editione anni 1845 conferenda est. Quo loco sive cum HAKochio vocabulum designatus inducendum, sive cum reliquis viris doctis M. Tullio vindicandum censes, nihil est, quod cum illis quae supra exscripsi verbis conferri possit. Aut enim tollitur in quo offendas, aut res per se ipsa perspicua est. De tribunatu sestiano orator se iam dicturum esse declaraverat, pergit Sestium designatum iter suscepisse. Nihil mirum, nisi forte quod id, quod per se intellegitur, Sestium tum tribunum designatum fuisse, omissum videri. At locus plane geminus Frontonis est (epist. ad Antoninum imperatorem II 2 pag. 105, 17 Naber): patris tui laudes a me in senatu **designato** et inito consulatu meo dictas legisti libenter, ubi haud scio an aliquid restet emendandum. Quid enim? Frontonem bis dixisse, consulem designatum et inito consulatu? Adde: in senatu designato **scriptas** et inito consulatu meo dictas. Sed redeo ad Ciceronem. Quem cum abstracta quae dicunt nomina fere fugere dicunt, haud scio an nimio ardore abrepti viri docti nonnunquam locos controversos in rectam viam revocasse temere sibi visi sint. Tusc. IV 33. 70 haec scripta sunt: mihi quidem haec in Graecorum gymnasiis nata consuetudo videtur, in quibus isti liberi et concessi sunt **amores.** Bene ergo Ennius: Flagiti principium est nudare inter civis corpora. Qui ut sint, quod fieri posse video, pudici, solliciti tamen et anxii sunt. Quae quamvis et Heinius et

p 28706

Sorofius ita dicta velint, ut qui amantes subintellegatur, mihi tamen ipsi amores et pudici et anxii et solliciti dici videntur. De pudico enim amore ne dubitari quidem potest; anxium autem et sollicitum eodem modo dicit quo ad Attic. II 24. 1: non ignoro quam sit amor omnis sollicitus atque anxius. Eodem pertinet locus, qui est de off. I 29. 101: omnis autem **actio** vacare debet temeritate et neglegentia nec vero agere quicquam, cuius non possit causam probabilem reddere. Scio agere eum qui agit, agi actionem. At quae eodem loco de adpetitu disseruntur, non fere ipsius ὁρμῆς, sed eius sunt, qui adpetit; qui enim ipsi rationi oboedire (§ 102), eidem postea contrahendi et sedandi esse dicuntur (§ 103). Quae cum ita sint, in eo, de quo agitur loco, ipsam actionem quidquam agere vetari puto, cuius non possit caussam probabilem reddere. Gemini sunt loci, quos Heinius adtulit § 134 et II 11. 39; non eodem pertinet locus ab eodem viro doctissimo adscriptus, qui est de off. I 37. 134.

Alterum genus id est, quo ex collectiva quadam notione in enunciatione primaria praecedenti in enunciatione secundaria ad singulos eadem fere συνέσεως ratione transitur, qua M. Tullius solet (cf. Madvig. gr. sermonis lat. § 215). Est enim in libris, qui sunt de off. I 34. 122: maxume autem haec **aetas** a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria. Vides hanc aetatem adulescentium esse; adulescentiam enim Cicero (praeter locum, qui est Caton. 8. 25: in ea, quae non volt, saepe etiam adulescentia incurrit) pro adulescentibus dicere noluit. Iam dixerat de adulescentibus, pergit de hac aetate dicere, deinde redit ad adulescentes ipsos eorumque industriam. Plura eiusdem constructionis exempla vide apud Beierum et apud Heinium.

Tertium genus est, quo ex attributis quae dicunt adiectivis substantiva cognata cogitatione supplenda sunt. Synesin implicitam litteratores dixerunt. Id quod, quo modo fieri potuerit, facile intelleget, qui adiectiva illa attributiva genetivos quos vocant attributivos in sermone latino artissima cognatione adtingere meminerit. Dixerunt de ea re Ellendtius ad Cicer. Brutum 93. 319, interpretes Sallust. Iug. 41, 2, Weissenbornius ad Liv. XXXV 30. 4 alii. Unum exemplum, adtulisse satis erit: Cicer. Brut. 29. 112 ad **senatoriam** sententiam, cuius (senatus) erat ille princeps.

Singulare et, ut ita dicam, solitarium est apud Ciceronem quidem Tusc. IV 21. 48 an vero vir fortis, nisi stomachari coepit, non potest fortis esse? **Gladiatorium** id quidem; quamquam in eis ipsis videmus saepe constantiam, dubito tamen an tertio illi generi adfine. Gladiatorium enim vocabulum non, ut cum grammaticis loquar, attributivum, sed praedicativum hoc loco est, ut nesciam an recte Orellius gladiatorum maluerit. Obstat quidem consentiens librorum manu scriptorum auctoritas, sed codices parisinus et gudianus, qui soli sequendi sunt, ex eodem fonte ductos esse constat (cf. M. Seyfferti praef. pag. VII).

Reliqui sunt loci ciceroniani specie quidem simillimi, ut ei, qui eis interpretandis operam dederunt, notionem aliquam mente supplendum esse fere consentiant. Sunt autem hi: pro Murena 13. 29: deinde vestra responsa atque decreta et evertuntur saepe dicendo et sine defensione oratoris firma esse non possunt. In qua si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem. Adcedit locus, qui est de orat. II 2. 5: ceterae fere artes se ipsae per se tuentur singulae: bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis

saepta teneatur. Atque altero loco quae res sit, in qua Cicero se non satis profecisse simulat, interpretes non adparere censent, ut aut in quo aut in qua re aut in qua arte emendandum esse sibi persuaserint, aut voculas illas ad defensionem oratoris ita referendas esse statuant, ut similis quaedam notio (artem dicendi ponunt) per σύνεσιν supplenda sit. Recte, si quid video, illud; sed quidquam supplendum esse nego. Comparatur iuris prudentia cum arte dicendi: a iuris peritis salubritatem quandam peti, ab eis, qui dicant, salutem ipsam i. e. ab illis respondendo fieri, ut reus sibi cavere possit, ut absolvatur non fieri. Pergitur: responsa iuris peritorum saepe dicendo everti et nisi crimina dicendo urgentur firma esse non posse; non consulendo quidquam, sed in iudicio aut ad populum dicendo profici. Iam non ignoro defensionem non usurpari solere pro caussa dicenda; dicitur tamen de crimine, testimoniis, documentis, indiciis prolatis diluendo, quemadmodum in epistula Catilinae est ad Q. Catulum data (Sallust. Catil. 35. 2): defensionem in novo consilio non statui parare. In eaque re se non satis profecisse Cicero loco laudato modeste simulat; quamvis, id quod concedendum est, universam artem oratoriam, non defensionem illam laudibus cumulaverit. Non plane geminus alter locus, quem supra exscripsi, ciceronianus est. Nescio enim, qui factum sit, ut quicunque in eum locum commentati sunt, priorem sententiae partem neglexerint. Ceterae, Cicero dicit, artes se ipsae per se tuentur singulae; unam reliquam esse artem intellegitur, quae per se ipsa stet. Quae tamen secuntur mihi quidem non, quemadmodum volunt, κατὰ τὸ νοούμενον, sed ἀνακολούθως dicta sunt ita: bene dicere autem, quod est scienter et ornate dicere — non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis saepta (sc. reliqua, quam modo dixerat, ars) teneatur. Malim tamen: non habet ea definitam aliquam regionem.

Qui praeterea ex Sallusti Catil. 18. 2 adfertur locus: sed antea item coniuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina fuit; de qua, quam verissume potero, dicam, neque huc pertinet, cum in Cicerone me continere placuerit, et eis quos modo adtuli locis plane contrarius est. Refertur enim pronomen relativum ad substantivum (h. l. coniuratio) ex praegresso verbo intellegendum, ut recte interpretes et Badstuebnerus *) exposuerunt.

Consulto praetermisi locum tullianum, qui est ad famil. II 3. 1 init.: equidem quid sentiam, aut scribam ad te postea pluribus, aut, ne ad eam meditere, inparatum te offendam, quo loco vocem sententiam e verbo sentiam repetendam esse opinantur. Equidem ne eo quidem confugiendum puto, ut homines in epistulis liberiore uti solere dicendi ratione vel, ut cum ipso Cicerone loquar (ad famil. IX 21. 1), plebeio sermone agere cottidianis verbis texere eas solere dicam. Locus haud dubie corruptus est, id quod ipse liber mediceus, cui alia demum manus illud quid adscripsit, docet. Unde Victorius ea coniecit, R. Klotzius equidem meam sententiam aut scribam cett.

Iam iamque redeo eo, unde profectus sum. Cum omnibus quotquot adtuli locis ille, quem initio huius disputationis posui, nihil commune habet. Cicero dictaturam de republica sublatam esse dicit, de qua, pergit, ne sententias quidem diximus. Quid vero? de dictatura nulla ferenda erat sententia, sed, ut inlitteratius dicam, de abolitione dictaturae,

---

*) Cf. Badstuebneri de Sallustii dicendi genere commentationem. Berolini 1863. Progr. Friedrich-Wilhelmsgymn. pag. 7.

i. e. tollendane esset an non tollenda. Iam vero ex tollendi verbo non licere, ut substantivum aliquod συνώνυμον suppleas, supra docuisse mihi videor. Igitur labem traxisse et emendandus esse locus videtur, id quod, nisi fallor, facili opera neque sine maxima probabilitate fieri potest. Intercidit enim post pronomen relativum propter vocabuli insequentis similitudinem vocula re, ut scribendum sit: de qua **re** ne sententias quidem diximus.

In eis, quae subsecuntur

Cicer. Phil. I 2. 4.

Lux quaedam videbatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato, magnumque pignus ab eo reipublicae datum, se liberam civitatem esse velle, cum dictatoris nomen, quod saepe iustum fuisset, propter perpetuae dictaturae recentem memoriam funditus ex republica sustulisset, haesit J F C Campius in annal. philol. 93 (1865) p. 163 atque ita quidem, ut quid illud sit, quod nomen dictatoris iustum fuisse dicatur, se non intellegere fateatur; ne dictaturam quidem, quae iusta quidem i. e. legitima esse possit, saepe iustam dici non posse; illud enim munus praeter sullanam istam dictaturam fere semper iustum fuisse; qua de caussa pro iustum scribi vult funestum. Atque Halmius quidem in editionibus quarta et quinta ei adsentire videtur. Iure, puto, haesit Campius neque tamen a viri docti partibus stare potero. Iusta fuit dictatura, quae, ut Tacito utar (ab excessu divi Aug. I 1) ad tempus sumebatur. Ex quo autem aut infinita, qualis Sullae, fuit aut in perpetuum delata, ut Caesari, iusta esse desiit. Unde saepe iusta fuisse qui dici potuit? Agitur autem de nomine dictatoris, quod quomodo funestum, quemadmodum Campius voluit, adpellari possit non video. Quae cum ita ita sint, locum labem traxisse adparet. Atqui ipsa, qualia in libris sunt, verba ciceroniana duas res, non unam, a Cicerone vel ab Antonio adlatas esse docent, cur dictatoris nomen ex republica sublatam vellet, alteram, quod olim nescio quae mala habuisset, alteram quod perpetuae dictaturae recens memoria dissuaderet, ne retineretur. Quorum quidem argumentorum illud levius, hoc gravius est. Itaque desiderari nonnulla mihi quidem persuasi et locum sic emendandum esse censeo: cum dictatoris nomen, quod saepe [invisum, pe] ius tum fuisset propter perpetuae dictaturae recentem memoriam funditus ex republica sustulisset. Aberraverat librarius ab altero saepe ad alterum **pe**ius, reliquum erat, ut continua scriptura iustum exararet pro (pe)ius tum. Invisum autem dictatoris nomen eis temporibus fuisse, quibus ad coercendam plebis pervicaciam, qua militiam detrectabat, eam instituerunt et iteraverunt, notissimum est; plus autem quam invisum esse tum coepisse dicitur, cum non ad tempus, sed in perpetuum Caesari datum est.

Cicer. Phil. I 7. 18.

ad quem locum recensendum agitur de lege, qua praepositio post formulam **id est** aut **hoc est** apud Ciceronem aut addi aut omitti soleat.

De decantatissima illa formula id est sive hoc est post multas hominum doctorum ambages quid apud Ciceronem statuendum sit, ita Nicolaus ille Madvigius exposuit (ad libros de finibus bonorum et malorum[3] pag. 72. 138. 143 s. 174. 519*), ut in singulis locis diiudi-

*) Cf. etiam F Ritschelium in A Reifferscheidi Suetoni reliquiis pag. 503 sq.

candis nunc demum via et ratione possit procedi. Itaque cum tanta tamque firma vestigia premere liceat, ad locum adcedo a Madvigio de industria praetermissum, qui est de adpositionibus, quae ad substantiva praepositionibus apta per formulam id est sive hoc est adduntur.

Est autem duplex genus huius rei, ut aut ea vox vel sententia, quae obscura est aut certa quadam explicatione indiget, praeponatur, aut ipsa res nota priore loco sit et addita formula id est vel hoc est ad id idem revocetur, de quo agitur. Sic in Verr. II 2. 30: cum hos sibi quaestus constituisset magnos atque uberes ex his causis, quas ipse instituerat cum consilio, hoc est, cum sua cohorte cognoscere: tum illud infinitum genus invenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendam ad prius genus pertinet. Cum consilio enim suo Verrem rem egisse ait atque acerbe addit consilium illud nequam illos homines fuisse, quos amicos suique simillimos Verres in cohorte habuisset. Alterius autem generis est locus pro imp. Gn. Pompei 3. 7: ita regnat, ut se non Ponti neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere ex patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari. Poterat enim dicere, non in obscuris Ponti aut Cappadociae latebris, sed in luce Asiae (im vordergrunde Asiens) Mithridatem versari velle. Opposita enim sunt latebrae et lux Asiae. Sed ut medium Romanorum imperium a regi peti remque summi discriminis esse apertius violentiusque demonstraret, praeter exspectationem praeponit in vestris vectigalibus additque hoc est in luce Asiae. Utro autem genere dicendi utendum sit, ex solo oratoris iudicio et consilio pendet. Simillimus ei loco, quem ex verrinis exscripsi, est pro Rosc. amer. 31. 87: quam sis audax hinc omnes intellegere potuerunt, quod ex tota societate, hoc est, ex tot sicariis, solus tu inventus es, qui cum accusatoribus sederes atque os tuum non modo ostenderes, sed etiam offerres. Addita enim est explicatio ad criminis foeditatem atque audaciam acerbius demonstrandam, ut praeter Erucium ne e sicariis quidem unum talia ausum esse doceret. Adcedit locus in Verr. II 5. 114: de latronum, hoc est, de comitum suorum sententia condemnat omnes, ita tamen, ut ordo eo, de quo supra dixi, modo inversus sit. Hoc enim dicit, condemnavisse Verrem non de quaestoris et legati sui, sed de latronum, qui quidem proconsulem reipublicae romanae comitarentur, sententia. Salsissima irrisio est in Verr. II 1. 35: est enim obscurum et eiusmodi factum eius, ut possit aliquis suspicari C. Verrem, quod ferre novos homines non potuerit, ad nobilitatem, hoc est, ad suos transisse, nihil fecisse propter pecuniam. Cum enim Verres nobilitatem generis cum adfectatione simularet, Cicero, fidem homini inani habens, Verrem nobilitatem genere adtingere simulat. Atque hoc *εἰρωνικὸν* id est non multum abest a scilicet. Neque aliter sese habet locus, qui est II 3. 178: nam ut illud missum faciam, permultos aratores in alteras decumas et in haec IↃCCC milia modium, quod emptum populo romano darent, non habuisse et a tuo procuratore, hoc est, ab Apronio, emisse, ex quo intellegi potest nihil te aratoribus reliqui fecisse. Addo ex ceteris libris ciceronianis de orat. I 39. 180: num destitit uterque nostrum in ea causa, in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est, in medio iure civili versari? II 15. 66: denique ei, qui profitetur esse suum non solum de eis controversiis, quae temporibus et personis notatae sunt, hoc est, de omnibus forensibus, sed etiam de generum infinitis quaestionibus dicere, nullum potest esse genus oratoris, quod sit exceptum; ad famil. III 8. 4: neque enim

eram tam desipiens, ut privatae rei causa legari putarem, qui et tibi non privato et pro re non privata sua, sed publica, non in privato, sed in publico orbis terrae consilio, id est in senatu, ut gratias agerent, mittebantur, de quo loco male statuit Ernestius et post eum Cobetus (in prioris Mnemosynes II p. 421) et Kleynius (ibid. VII p. 229), cum verba id est in senatu eicienda esse censerent; ad famil. XIII 68 1: quod reliquum est, multo etiam erit gratius, si ad me de republica, id est de statu provinciae, de institutis tuis familiariter scribes; XIV 2. 3: quod de domo scribis, hoc est de area, ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta; fragm. p. 66 nº 90 Kayser: quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate et p. 73 nº 15: castos autem [animos], puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, leni quodam et facili lapsu ad deos, id est ad naturam sui similem, pervolare.

Transeo ad aliam quandam eamque adfinem illius formulae notionem. Ut enim orator per simulationem sese quasi in adversarii sententiam insinuare potest, ubi formula illa utitur, ita non raro fit, ut aliam apud alios homines vocis alicuius notionem esse addita illa formula declaret. Quae tamen notio singulo quoque loco formulae subsit, ut nobis quidem i. e. qui legimus scripta tulliana ex cuiusque loci natura et ex sententia universa coniciendum est, ita civibus romanis, qui auribus verba illa excipiebant, ex sono vocis, quo orator utebatur, ex adfectu dicentis manifestum fuit. Pertinere huc corruptus ille locus videtur, qui est in Verr. II 3. 67: eius agri decumas cum emisset idem Apronius, Agyrium venit. Qui cum eo cum apparitoribus, id est, cum vi ac minis venisset, poscere pecuniam grandem coepit, ut accepto lucro discederet. Adparitores enim magistratuum ei esse solent et debent, qui lege et iure agant, non vi et minis terreant, qui latronum mos est, non adparitorum. Splendido autem adparitorum vocabulo comites suos Apronius adpellabat, sive quod re vera erant eique additi a Verre ad decumas exigendas, sive quod honesto nomine malos homines per innocentiae speciem vocabat. Itaque, cum communis huius nominis notio honesta esset, adparitores qui vocabantur re vera non id quod adpellabantur, sed nomine quidem adparitores, re latrones fuisse Cicero additis vocabulis id est cum vi ac minis acerbe demonstrat. Eodem redit in Verr. II 3. 84: qui cum agros maximos ac feracissimos per se ipsum, hoc est, per Apronium, Verrem alterum, depopularetur, ad minores civitates habebat alios, quos tamquam canes immitteret, nequam homines et improbos, quibus aut frumentum aut pecuniam publice cogebat dari. Non re vera per se ipse agebat Verres, sed per eum, qui Verri simillimus et quasi alter Verres esset, per Apronium. Vocabula autem Verrem alterum fortasse delenda sunt. Ad idem genus referendus est locus in Pison. 27. 66: convivium publicum non dignitatis causa inibit — nisi forte, ut cum patribus conscriptis, hoc est, cum amatoribus suis cenet —, sed plane animi sui causa. Quos enim Piso patres conscriptos ad convivia invitet, non hoc nomine, sed libidinariorum dignos esse dicit. Adde pro Mil. 9. 24: subito reliquit annum suum seseque in annum proximum transtulit, non, ut fit, religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad praeturam gerendam, hoc est ad evertendam rempublicam, plenum annum atque integrum, ubi ipsa quae addita sunt verba quod ipse dicebat bonos cives plane cum Clodio de hac re ita dissensisse indicant, ut praetura a Clodio gerenda re vera pro eversione reipublicae habenda sit. Idem cadit in

Phil. II 29. 74: hunc igitur quisquam, qui in suis partibus, id est in suis fortunis, tam timidus fuerit, pertimescat? Partes Antoni dicit non esse eas, quae quidem volgo et apud bonos cives sint, sed illum partes suas ita eligere et sequi, ut non publicae saluti, sed suis fortunis serviat. Simillimus locus est Phil. II 28. 70: ad ipsas tuas partes redeo, id est ad civile bellum. Et in eisdem Phil. XIII 8. 18 est: inde se quo furore, quo ardore ad urbem, id est, ad caedem optimi cuiusque rapiebat!, quo loco, cum ceteri homines ad urbem properantes ad suos et amicos redire soleant, Antonium eo festinantem, caedem et sanguinem sitire exponit.

Reliqui loci eius generis sunt, quod conclusivum dicas. Cum enim superior vox generalis quam dicunt sit et maiorem notionis orbem complectatur, ea, quae per id est adduntur, speciem quandam denotant, et eam quidem, quae rem praesentem artius et propius adtingat. Sic in Verr. II 3. 27 haec leguntur: tu de optimo, de iustissimo, de honestissimo genere hominum, hoc est de aratoribus, ea iura constituebas, quae omnibus aliis essent contraria. Cum crudelissimum et iniustissimum sit de optimis, iustissimis, honestissimis hominibus ea constituere, quae contra ius fasque sunt, crudelissime et iniustissime Verres egerat, qui iniuste de aratoribus constituisset; nam aratores ad id genus hominum pertinent. Vides, ut cum philosophis loquar, propositionem maiorem praeponi, tum per id est propositionem minorem, quae ad rem praesentem de qua agitur pertineat, sequi. Eiusdem generis est locus in Verr. II 3. 164: hanc pecuniam tantam, datam tibi ex aerario inopi atque exhausto, datam ad frumentum, hoc est ad necessitatem salutis ac vitae, abs te sic laceratam esse dico, ut possim illud probare, si velim, omnem te hanc pecuniam domum tuam avertisse. Sic enim concludit: hominis mali est ea, quae ad vitae et salutis necessitudinem data sunt, aliis eripere; atqui frumentum ad necessitudinem et salutem vitae maxime necessarium est: ergo Verres, qui pecuniam ad frumentum in usum communem procurandum accepit et in suum usum convertit, nequam homo est. Adcedit in Verr. II 4. 129: illud (signum) Flamininus ita ex aede sua sustulit, ut in Capitolio, hoc est, in terrestri domicilio Iovis poneret. Agitur de tribus, quae in orbe terrarum ferebantur, signis Iovis, e quibus unum, quod Syracusis ante Verrem fuerat, ille ex templo Iovis sustulit. In quo, ut hominem nefarie et sceleste fecisse probaret, quid de reliquis factum esset, Cicero exposuit. At illud, quod in Ponti ore et angustiis esset, in multis, quae illic terrarum fuissent, bellis integrum inviolatumque servatum esse cum dixisset, tertium ex Macedonia a Flaminino captum et in Capitolio romano positum addidit. Quae cum ita essent, verendum sane erat, ne Verres se idem, quod Flamininum fecisse excusaret, qui illud domum suam avertisset. Contra quae Cicero ita argumentatur: illud Flamininus ita ex aede sua sustulit, ut in Capitolio, hoc est, in terrestri domicilio Iovis poneret. Namque Iovi suum reddendum erat; atqui Flamininus vere reddidit, quantum quidem reddi potuit. Cum enim in caelum mittere non posset, in Capitolio posuit, quod quidem terrestre Iovis domicilium est: ergo Flamininus eo loco restituit, ubi debebat. Addo reliqua huius generis locos eodem modo explicandos. In Verr. II 3. 44: in beneficio praetor hoc petit aliquanto ante adventum suum, et simul ostendit se lege hieronica venditurum, hoc est, in omni ratione decumarum nihil istius simile facturum; II 5. 139: quae (caussa) non ad sociorum salutem, sed ad civium romanorum, hoc est, ad unius cuiusque nostrum vitam et sanguinem pertinet; pro Balbo 4. 10:

contra foedus, id est contra populi romani religionem et fidem fecisse dicitur; pro Deiot. 5. 13: postremo venit ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est ad periculi, non ad victoriae societatem; Phil. I 7. 18: sed haec ipsa concedo, quibusdam etiam in rebus coniveo: in maximis vero rebus, id est legibus, acta Caesaris dissolvi ferendum non puto; XII 9. 23: si autem aut domi est aut non longe a domo, certe in Etruria est, id est in via; de finn. II 34. 115: quae autem est alia causa erroris tanti, tam longe lateque diffusi, nisi quod is, qui voluptatem summum bonum esse decernit, non cum ea parte animi, in qua inest ratio atque consilium, sed cum cupiditate, id est, cum animi levissima parte deliberat? III 8. 29: ex quo intellegitur idem illud, solum bonum esse, quod honestum sit, idque esse beate vivere, honeste, id est, cum virtute vivere; Tusc. V 13. 39: et hoc quidem mihi cum Bruto convenit, id est cum Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone; de off. I 44. 157: itaque nisi ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis, id est ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum, solivaga cognitio et ieiuna videatur, itemque magnitudo animi remota a communitate coniunctioneque humana feritas sit quaedam et immanitas; ad famil. VI 10. 2: itaque si qui mihi erit aditus de tuis fortunis, id est de tua incolumitate, in qua sunt omnia, agendi, quod quidem cotidie magis ex eorum sermonibus adducor ut sperem, agam per me ipse et moliar; VIII 4. 4: inde interrogatus est de successione C. Caesaris, de qua, hoc est, de provinciis placitum est, ut quam primum ad urbem reverteretur Cn. Pompeius; XII 1. 1: finem nullam facio, mihi crede, Cassi, de te et Bruto nostro, id est de tota republica, cogitandi; ad Attic. VI 9. 5: tu mihi, ut polliceris, de Tulliola mea, id est de Dolabella, perscribes.

Simplicius id genus est, quo superior vox aut sententia ita explicatur, ut ei, qui audiunt, facilius quid sibi orator velit, intellegant. Sic in Verr. II 3. 116: professio est agri leontini ad iugerum $\overline{XXX}$. Haec sunt ad tritici medimnum $\overline{XC}$, id est, modium $\overline{IↃXL}$. Medimnus enim mensura graeca et sicula est; addit orator aequalem Romanorum mensuram modiorum. Non necesse est, ut verbam addam, ad explicandos hos locos: In Caecil. div. 4. 11: de utroque, et de eo prius, quod apud vos plurimum debet valere, hoc est, de voluntate eorum, quibus iniuriae factae sunt; in Verr. II 5. 76: unum, alterum mensem, prope annum denique domi tuae piratae, a quo tempore capti sunt, quoad per me licitum est, fuerunt, hoc est, quoad per M'. Glabrionem licitum est, qui postulante me produci atque in carcerem condi imperavit; Phil. II 21. 50: accipite nunc, quaeso, non ea, quae ipse in se atque in domesticum decus impure et intemperanter, sed quae in nos fortunasque nostras, id est in universam rempublicam, impie ac nefarie fecerit; pro Caecina 34. 100: nam, cum ex nostro iure duarum civitatum nemo esse possit, tum amittitur haec civitas denique, cum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est in aliam civitatem; de invent. II 23. 69: accusantur apud Amphictyonas, id est, apud commune Graeciae concilium; II 49. 145: primum igitur leges oportet contendere considerando, utra lex ad maiores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores ac magis necessarias res pertineat; de orat. III 42. 167 non est autem in verbis modus hic, sed in ora-

tione, id est, in continuatione verborum; orat. 61. 207: ergo in aliis, id est, in historia et in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικόν, placet omnia dici isocrateo theopompeoque more; de finn. I 17. 55: nullus in ipsis error est finibus bonorum et malorum, id est in voluptate aut in dolore; IV 14. 37: sic igitur in homine perfectio ista in eo potissimum, quod est optimum, id est in virtute, laudatur; Tusc. I 31. 75: nam quid aliud agimus, cum a voluptate, id est a corpore, cum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, cum a republica, cum a negotio omni sevocamus animum? IV 31. 65: videamus nunc de bonorum (opinione), id est de laetitia et de cupiditate; IV 36. 77: itaque iratos proprie dicimus exisse de potestate, id est de consilio, de ratione, de mente; V 23. 66: quis est omnium, qui modo cum Musis, id est cum humanitate et cum doctrina, habeat aliquod commercium? de nat. deor. II 6. 17: ut ob eam ipsam causam, quod etiam quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia propter caeli pleniorem naturam, hoc idem generi humano evenerit, quod in terra, hoc est in crassissima regione mundi, conlocati sint; de divin. I 5. 9: sed, quod praetermissum est in illis libris — credo, quia commodius arbitratus es separatim id quaeri deque eo disseri —, id est de divinatione, quae est earum rerum, quae fortuitae putantur, praedictio atque praesensio, id, si placet, videamus quam habeat vim et quale sit; Lael. 26. 97: quod si in scaena, id est in contione, in qua rebus fictis et adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum et inlustratum est, quid in amicitia fieri oportet, quae tota veritate perpenditur? Parad. 4: quae quia sunt admirabilia contraque opinionem omnium temptare volui possentne proferri in lucem, id est in forum, ubi nihil est cur cum Bentleio extrema tria verba expungas. Ad famil. IX. 1. 2: scito enim me redisse cum veteribus amicis, id est cum libris nostris, in gratiam; ad Attic. III 23. 3: si quid in hac rogatione scriptum est, quod per leges plebisve scita, hoc est quod per legem clodiam, promulgare, abrogare, derogare, obrogare sine fraude sua non liceat, non licuerit; ad Brut. I 17. 6: ego certe quin cum ipsa re bellum geram, hoc est cum regno et imperiis extraordinariis et dominatione et potentia nulla erit tam bona condicio serviendi, qua deterrear.

Consulto omisi locum, qui est in Verr. II 2. 38: Heraclius cum advocatis adit et postulat, ut sibi cum palaestritis, hoc est, cum populo syracusano, aequo iure disceptare liceat. Namque cum inter viros doctos non constet, quae huius loci sit sententia non periclitari in eo volui interpretando. Itaque ad quod genus hic quidem locus pertineat, confiteor me ignorare.

Haec sunt, quae de formula id vel hoc est, quatenus quidem ea substantiva, quae a praepositionibus pendent, sequitur, dicenda habui. Mirum autem haud scio an videri possit, quod non universam de illa formula quaestionem, sed hanc voluerim eius particulam inquirendo persequi. Sed non id imprimis agebam, ut de ipsa formula exponerem, de praepositione quaerere volui, repetereturne necne. Id enim ipsum praeter cetera agendum erat, ut nullo loco praetermisso exempla ciceroniana conligerentur quidque in libris scriptum esset diligenter et religiose recenseretur.

Ex exemplis vero a me conlectis, in quibus omnes libri manu scripti in hac quidem re, de qua agitur, plane consentiunt, praeter locos Phil. I 7. 18 et in Verr. II 3. 116: ubique post formulam id vel hoc est repeti praepositionem adparet. At alter locus, qui est ex orationibus verrinis, eximendus huic quaestioni erit. Ea enim voculae ad vis et natura est, ut, ubi vicinitatem numeri non adcurate definiendi designat, non raro pro adverbio esse soleat. De qua re ne longus sim ad Handi Tursellinum I 102 seqq. et Muetzellium ad Curt. V 6. 41 provocare satis habeo. Quamquam multum de ea re disceptari haud ignoro. Sunt enim, qui de usu tulliano dubitent, Caesari et Livio*) soleant concedere; sunt qui universam rem dubiam esse adfirment, cum numeralia non litteris, sed suis signis scribi in codicibus soleant, ut de casu, sitne nominativus an accusativus, certum aliquid statui non possit: cf. Fabri et Heerwagen ad Liv. XXII 41. 2. Sed non desunt loci, quibus numeralia illa litteris scripta inveniantur veluti Liv. XXVIII 36. 13, ubi digna sunt quae legantur, quae adnotavit Weissenbornius. Quae cum ita sint, restat, ut de usu tulliano disputetur. Atque locus ille, quem supra posui, aperte docet, etiam Ciceronem vulgari dicendi genere in hac re usum esse; est autem id genus, quod dixi, ut ad vicinitatem numerorum designet. Solent enim in eiusmodi rebus, quae ad cottidianam vitae consuetudinem pertinent, qualis est numerorum in alimentis aliisque rebus definitio, vel optimi quique scriptores se ad sermonem popularem, quo melius intellegantur, adcommodare. Iam vero consensus librorum praeter hunc et alterum locum, quem dixi, qui est in orationibus philippicis, a Cicerone praepositionem post id est repeti docet. Itaque cum hoc loco non repetatur, vocabulum ad non pro praepositione, sed pro adverbio habendum esse manifestum est. Quamquam tres supersunt loci, quos supra consulto omisi, qui obstare videantur. Sunt autem hi: Orat. 66. 223: ex duobus enim versibus, id est, membris perfecta comprehensio est et in spondeos cadit; Lael, 25. 95: contio, quae ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est adsentatorem et levem civem, et inter constantem et severum et gravem; de republ. fragm. IV 6. 6: itaque a petendo petulantia, a procando, id est poscendo, procacitas nominata est. Atque duo illi priores plane eiusdem generis sunt. Vocabula enim, quae addita formula id est explicantur, non per se stant, sed ita ab alio quodam vocabulo (ex duobus versibus, inter popularem civem) apta sunt, ut unam cum illo notionem faciant, quae tamen notio non universa, sed dimidia explicatur. Nam altero loco non duo versus, sed soli versus, altero non popularis civis, sed popularis quid sibi velint exponitur, ut aut, ut apud Ciceronem est, ex duobus versibus, id est membris et inter popularem, id est adsentatorem et levem civem aut ex duobus versibus, id est ex duobus membris et inter popularem civem, id est inter civem adsentatorem et levem repetitis eis, quae ad universam notionem pertinent, vocabulis scribi liceret, non liceret ex duobus versibus, i. e. ex membris et inter popularem i. e. inter adsentatorem et levem civem nisi vero duos versus et membra et binos versus plane idem esse statuis quod singula membra. Non plane abhorret ab eis, de quibus dixi locis, is quem tertio loco posui. Agitur enim in fragmento illo de ἐτύμῳ vocum petulantia et procacitas atque procacitatem quidem a procando repetendam esse docetur. Quid vero? poteratne scribi a procando, i. e. a poscendo, procacitas nominata est? rene vera

*) Cf. L. Kuehnast, die hauptpunkte der livianischen syntax. Berolini 1872 p. 360.

Cicero a poscendo procacitatem dictam esse scribere potuit? Quae cum ita sint, hoc contendo: praeter locum, de quo iam disputandum erit, qui locus est Phil. I 7. 18, ubicunque formulam id aut hoc est substantivis cum praepositionibus iunctam aliud quoddam substantivum, quo illud, quod priore loco erat, definiat aut explicet, sequatur, apud Ciceronem quidem praepositionem repeti solere, sive eandem, sive, de qua re mox agetur, similem quandam; ubi vero substantivum cum attributo quod dicunt coniunctum non totum, sed ex dimidia parte, ut explicatio illa ad alterum utrum vocabulum pertineat, explicetur, repeti non solere, denique ubi verba, unde ducta sint, enodantur, verbi autem, unde aliud quoddam verbum ductum esse dicatur, non origo (ἔτυμον), sed sententia exponatur, ne posse quidem repeti. Postremo, quemadmodum supra dixi, non ubique eadem quae praecesserat praepositio altero loco repetitur, sed est, ubi ne liceat id quidem. Atque primum quidem ubi aut locus quidam qui sit additis hominibus, qui in eo versentur, aut homines quibuscum verseris ubi sint additur, aptae alteri utri rei praepositiones quaerendae et usurpandae erunt. Cuius generis exempla haec sunt: Acad. post. I 2. 8: sed meos amicos, in quibus est studium, **in** Graeciam mitto, id est **ad** Graecos ire iubeo; ad Attic. VII 23. 1: hi sunt nobis **cum**, id est **in** Formiano (similis locus est Brut. 46. 172: sed **domum** redeamus, id est, **ad** nostros revertamur. Tum in nonnullis ipse usus ne eadem praepositione utaris vetat, ut Brut. 62. 222: Q. etiam Catulum filium abducamus **ex** acie, id est **a** iudiciis; non licebat enim **ab** acie.

Sed redeo unde exii ad locum, qui est Phil. I 7. 18, qui locus unus abhorret a legibus illis, de quibus modo dixi. Verba fiunt de legibus a Caesare latis. Cum enim a. d. XVI kal. april. inter Antonium et senatum convenisset, ut acta et leges Caesaris ratae essent, et pax reipublicae satis firmata videretur, post kal. iunias eo adrogantiae Antonius procedere coepit, ut iam non leges illas tueretur, sed novas leges e chirographis C. Iuli ferret caesarianis illis plane contrarias. Plura de hac re leguntur Phil. II. 42. 109, ubi M. Tullius chirographa Caesaris defendi, leges everti ab Antonio queritur; Antonium cum actorum Caesaris defensor esse deberet, et in publicis et in privatis rebus acta i. e. leges Caesaris rescindere. „In publicis“, addit, „nihil est lege gravius“. Idem sententiarum nexus Phil. I 7. 18 est, ut alter locus alterum tueatur et confirmet. Primum enim chirographa Caesaris multo inferiora esse debere docet quam leges ab illo latas, quae in actis caesarianis essent; nihilominus chirographa ab Antonio adferri et pro ratis haberi, acta dissolvi. Quam rem non esse ferendam, nam nihil sanctius esse in civitate quam leges. Inde adparet, duas res utroque loco inter se opponi, chirographa et leges, quarum rerum minimi in republica momenti chirographa sint, leges maximi. Itaque tantum constat, premendam Ciceroni eam rem fuisse, ut nihil in republica plus valere debere doceret quam leges. Unde efficitur, ut nec vocabulis maximis rebus nec voce legibus carere possis. Non recte igitur disputat CA Iordanus vir de Cicerone optime meritus. Is enim*) haec verba facit: „id est legibus a librario addita esse suspicor; nam rerum et verborum ratio huius loci tam aperta et perspicua est, ut eiusmodi additamento non solum opus non sit, sed etiam oppositionis ratio atque concinnitas mirum quantum eo imminuatur“. Quamquam quod addit „accedit quod Cicero, si ipse haec verba addidisset, ut paullo ante factum est (Pompei tertius consulatus **in** quibus actis constitit? nempe **in** legibus) praepositionem in adiecisset“ recte fecit. Pertinet

*) CA Iordani quaestiones tullianae. Programma gymn. soestiani 1864 pag. 3.

enim hic locus ad id genus, de quo supra pag. 9 exposui. Ita enim Cicero argumentatur: in quibusdam quidem rebus coniveo, in maximis autem rebus coniveri non decet. Atqui maximae res leges sunt: ergo in legibus non est conivendum. Reliqua autem formulae id est exempla praepositione repetita careri non posse docent. Quae cum ita sint, locum corruptum ita emendandum esse censeo: in maximis vero rebus, id est in legibus, acta Caesaris dissolvi ferendum non puto. Quodsi quaeris, unde factum sit, ut praepositio omissa sit, caussam e nota praecedenti repetendam esse adfirmo. Ita enim in archetypo scriptum fuisse puto: rebus .i. ī legibus. Iam vero cum nota .i. pro id est simillima sit notae ī pro in, alteram a librariis praetermissam esse adparet.

Cicer. Phil. III 5. 12.

Cicero Antonium cum Tarquinio Superbo ultimo Romanorum rege comparat idque ita, ut Antoni superbiam multo minus quam olim Tarquini, ferendam esse adfirmet. Tarquinium enim non crudelem, non impium, sed superbum a maioribus et habitum esse et dictum, omne autem vitiorum genus in Antonio conspici. Tum pergit:

Cum autem omnis servitus est misera, tum vero intolerabilis est servire impuro, impudico, effeminato, nunquam ne in metu quidem sobrio.

Sic uno i (Lagomars. saec. XV.), quem, cum ad verba Ciceronis recte constituenda nihil plane valeat, non moror, excepto libri manu scripti omnes, editiones vetustiores, haud dubie de coniectura, intolerabile. Illud, quod codices exhibent, ferri non posse ipsius loci ratio docet, praesertim cum non adsit subiectum, quo adiectivum intolerabilis referatur. Quamquam Halmius tantum abest, ut corruptum locum esse putet, ut ea, quae in libris manu scriptis leguntur, aliquo modo explicare conetur. Scribit enim in adnotatione critica: „at quidni repetatur servitus“? Quid autem? Opponitur universum servitutis genus singulo cuidam generi, quo homini impudico serviatur. Itaque aut scribendum erat: tum vero intolerabilis servitus est, ut adiectivum non referretur ad id quod praecesserat substantivum, sed ipsum substantivum utroque loco scriberetur, aut: tum vero intolerabilis ea est, qua servias, id quod a librorum lectione tantum recedit, ut de eiusmodi quidem medela ne cogitari quidem possit. Altera vero ratio, qua vocabulum servitutis post vocem intolerabilis repetendam fuisse dixi, a Ciceronis dicendi elegantia abhorret, qua ita solet variare orationem, ut eiusdem vocis repetitio vitetur et altera quaedam eaque similis notio substituatur. Adcedit, quod aliena a Cicerone dicenda est triplex illa eiusdem vocabuli coacervatio: servitus, servitus, servire. Atque hae quidem aut similes quaedam caussae fuisse videntur, cur Kayserus aliam, qua aegro loco subveniri posset, viam ingrederetur, cum vocabulum servire quasi glossam uncinis includeret. Sed ne sic quidem salutare auxilium loco latum esse arbitror. Primum enim gravis minimeque ferenda ambiguitas in eis verbis inest, quibus Kayserus se locum sanasse opinatur. Nam cum omnem quidem servitutem intolerabilem omnibus esse, minime autem ferendam homini impuro et impudico et vinolento, a Ciceronis sententia alienissimum sit, restat, ut verba a Kaysero constituta ita interpreteris, ut substantivum servitutis cum eodem casu iunctum esse dicas, quo ipsum serviendi verbum iungi solet, ut servitus impuro idem sit quod servitus, qua impuro homini servias. Haec autem verborum aptandorum ratio ut comicorum atque historicorum argenteae fere aetatis est (cf. Kuehnasti synt. liv. p. 130), ita Cice-

ronem dedecere dicenda est, qui nisi in definitionibus et technicis quibusdam vocabulis, quae dicuntur, eiusmodi construendorum verborum ratione non utatur. Nam quod Zumptius in gr. sermonis lat. § 681 dicit: „substantiva verbalia finden sich zuweilen mit demienigen casus verbunden, welchen das verbum, von dem sie abgeleitet sind, regiert“, id in universum quidem sermonem latinum cadit neque tamen in hunc et qui eius similes sunt locos tullianos. Perpauci enim, nisi fallor, in libris tullianis sunt loci, ubi idem, quem cum verbo coniungi oportet, casus cum substantivo verbali coniungatur. Sunt autem hi: de legg. I 15. 42: iustitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum; topica V 28: abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu aut in iure cessio, inter quos ea iure civili fieri possunt. Vides utroque loco quid sit iustitia, quid sit abalienatio brevissimis, ut in eiusmodi re decet, verbis definiri, idque sincera quadam iurisconsultorum in eiusmodi quidem rebus breviloquentia. Adcedit locus, qui est de orat. III 54. 207, ubi Cicero certas quasdam dicendi figuras enumerat et Cottam facit a Crasso petentem, ut quid illae formulae sibi velint, exponat. Sunt autem hae figurae ex rhetorum graecorum disciplina, quae cum latino nomine carerent, a Cicerone novo quodam modo dicendae erant; quae res cum permagnas haberet difficultates, persaepe eo descendere coactus est, ut aut illud quidam vel quasi vocibus a se substitutis adderet, qua voce latina vocabula non plane respondere graecis, at similia illis esse declaratur. Iam, ut ad rem redeam, ἀπόφασιν graecam vocem non habebat quo latino vocabulo redderet. Caret enim sermo latinus vocibus quas vocant compositis; itaque cum una voce reddere illam non posset, brevissima usus est ratione, ut technicam vocem technica circumscriptione redderet ea, quae unam notionem amplecteretur: sibi ipsi responsio. Quae cum ita sint, dira necessitate cessisse Ciceronem adparet, id quod aliquotiens facere coactus est. Restat locus, qui est de nat. deor. I 34. 96: ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus quam figura. At multum abesse hunc locum ab illis, de quibus supra disputavi, adparet. Quid enim? Fuerunt, qui, ut Handius in Tursellino I p. 87 dativum ad verba propius accedebat referrent, fuerunt, qui ne hoc quidem ferendum esse putarent, ut Schoemannus, qui cum Lambino Buherio Davisio dei emendavit (opusc. III 321), CFVMuellerus, qui deorum esse substituendum conicere maluit. Neque magis huc pertinet locus de nat. deor. II 64. 161: iam vero inmanis et feras beluas nanciscimur venando, ut .... multa ex earum corporibus remedia morbis et vulneribus eliciamus, de quo post INMadvigium in gramm. sermonis lat. § 241. 3 non est, quod verba faciam. Restat unus locus, qui est Phil. I 15. 36: quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium civium? quid populi versus? quid Pompei statuae plausus infiniti? quid duobus tribunis pl., qui vobis adversantur?, ubi recte Halmius dativos non ad plausus referendos, sed propter concitatiorem et fervidiorem orationem positos esse adnotavit. Nam quod Cicero Phil. XIII 7. 15 receptui signum audire dixit, poterat quidem receptus dicere, sed cum usitatum esset signum receptui canere aut dare, ipsa locutio signum receptui vulgata fuisse videtur. Sed quid plura? huc quidem ille dativus non pertinet, cum signandi verbum cum dativo non iungatur, ut hoc loco aeque atque illo, quem proxime exscripsi, dativus a verbo pendeat omisso. Plane alia ratio est loci, qui est pro Plancio 1. 1: cum propter egregiam et singularem Cn. Plancii, iudices, in mea salute custodienda fidem tam multos et bonos viros eius honori viderem esse fautores. Quidquid enim obloquitur Koepkius, non eiusdem generis sunt fautor alicui et fautorem

esse alicui. Consulto omisi ad fam. XI 14. 1: tua praeclara Mutina eruptio et ad Attic. IX 5. 1: discessus Arpinum et mansio Formiis, quod dicendi genus cottidiani sermonis est nec nisi in epistulis apud Ciceronem nusquam invenitur.

Denique, ut post tot ambages ad locum supra exscriptum redeam, HWeberus*) scribendum putavit intolerabilius. Recte tamen censor anonymus in indicis philologi IV (1872) p. 409 haec contra monet: „so wuerde der lebhafte gegensatz, welcher zwischen den beiden begriffen misera und intolerabilis obwaltet, zu einem blosz graduellen unterschiede abgeschwaecht'. Quamquam quod addit: „vielleicht ist zu bessern tum vero res intolerabilis est" res vocabulum nimis languidum mihi quidem videtur. Quamquam mihi quoque verba controversa iterum iterumque legenti subnata cogitatio est, intercidisse voculam quandam**), ad quam sit referendum adiectivum illud intolerabilis, quae quidem coniectura valde aucta est, ex quo incidi in locum, qui est in orationibus catilinariis IV 8. 16: servus est nemo, qui modo tolerabili condicione sit servitutis, qui eqs., unde, ut Ciceronem ex ipso Cicerone emendem, eo de quo agitur loco auctor sum, ut scribatur: tum vero intolerabilis est [condicio] servire eqs.

Cicer. pro Rabir. Post. II 4.

Postquam Cicero C. Curtium rei patrem, equitem romanum, qui publicanus in negotiis gerendis non tam avarum quam benignum sese praestiterat, laudavit, his pergit verbis: Hoc ille (sc. Rabirius) natus, quamvis patrem suum numquam viderat, tamen et natura ipsa duce, quae plurimum valet, et assiduis domesticorum sermonibus in paternae vitae (codd. culpae) similitudinem deductus est.

Quem locum vitium contraxisse nullidum editores non viderunt, ut Halmi adnotationem ad hanc paragraphum citasse sufficiat: „quamvis codd., ex quamquam, ut videtur, corruptum. Nam, ut taceam syntaxim vitiosam (v. Nipperd. ad Nep. Miltiad. 2. 3 in ed mai.), quamvis per se ipsum ex usu tulliano ab huius loci sententia alienum videtur." Recte id quidem, licet eiusdem sententia, qua quamvis vocabulum ex quamquam hoc loco corruptum esse censet, iusto durior atque audacior esse videatur. Sed, ut ad caussas ab eo adlatas redeam, primum non possum, quin quamvis vocabulum cum indicativo verbi coniunctum hoc loco ex usu tulliano non modo a loci sententia alienum, sed plane perversum esse dicam. Quid enim? Quamvis et licet coniunctiones cum coniunctivo coniungi illae quidem solent, ita tamen, ut ille modus non tam ab eis quam ex ipsarum coniunctionum vi atque natura pendeat; verbalem enim naturam utrumque vocabulum prae se fert idque ita, ut quamvis illud de quo agitur ei quem adpellaveris permittat, ut nescio quam rei vim et qualitatem quasi de arbitrio ponat atque statuat; unde sequitur, ut verbum, quod enunciationem claudit, concessivo modo, id est coniunctivo, efferatur. Quid autem sibi velit „quamvis patrem suum non viderat" haud scio an nemo sanus excogitare possit. Quid enim est: concedere senatoribus, ut quam fieri possit maxime patrem a filio numquam visum esse sibi fingant? Aut vidit aut non vidit,

*) HWeber, coniecturae tullianae. Progr. gymn. vimariensis 1871 p. 6.

**) De lacunis in codice vaticano statuendis videsis VHirschfelderum in diariis gymnas. berolinens. 25 (1871) p. 37 et 41.

nihil praetera statui licet. Quae autem in nonnullis codicibus oxoniensibus leguntur: quamvis patrem suum numquam viderit correctori non sane felici illi debentur. Nullusdum vero praeter hunc locum in libris tullianis quotquot supersunt reperitur, quo quamvis coniunctio cum indicativo coniuncta legatur. Corruptum autem locum esse de quo agimus inde quoque elucet, quod omnes scriptores pedestres, qui Ciceroni fere aequales fuerunt, uno Cornelio Nepote excepto*), velut Caesar, Cato, Varro, Sallustius quamvis coniunctionem nisi cum coniunctivo non usurpant. Quamquam, ne quid praeteream, apud Varronem de ling. lat. VIII 33 Mueller. haec leguntur: si, quae (analogia) non est in consuetudine, quaeremus: ut quisque duo verba in quattuor formis finxerit similiter, quamvis haec nolemus, tamen erant sequenda, ut Iuppitri, Marspitrem, quas si quis servet analogias, pro insano sit reprehendendus, sedtamen, ut verum fatear, vereor ne grave mendum contraxerit hic locus. De poetis, qui ante Ciceronem vel ipsius aetate fuerunt, haec habeo: reperitur coniunctio illa neque in corpore scaenicae Romanorum poeseos ab Ottone Ribbeckio edito (nam Publili Syri sententias consulto omitto) neque in eis Naevi, Enni, Livi Andronici reliquiis, quae ad aliud poeseos genus spectant, neque in Terenti comoediis uno excepto loco, qui est Adelph. 279: quamvis etiam maneo otiosus hic. De usu plautino conferendi sunt praeter F V Holtzium in libro, qui inscriptus est „syntaxis priscorum scriptorum latinorum“ vol. II p. 186. 311 Brixius ad Trin. 380. 554. 797, Lorenzius ad Pseud. 1175 et ad Mostell. 411. Lucilius nisi adverbii loco vocem cum modo indicativo non coniungit: lib. IV XIII [12] c* et X VIII [3] Mueller. Loci catulliani hi sunt:

12. 5: quamvis sordida res et invenustast.
35. 8: qua re, si sapiet, viam vorabit,
quamvis candida milies puella
euntem revocet manusque collo
ambas iniciens roget morari.
74. 5: quamvis inrumet ipsum
nunc patruom, verbum non faciet patruos.
91. 7: et quamvis tecum multo coniungerer usu,
non satis id causae credideram esse tibi.

Lucretius nisi cum coniunctivo particulam coniungere non videtur. Atque eius modi exempla haec sunt**): I 346. 376. 387. 398. 620, II 177, 644, III 307. 874, IV 155, VI 601. 620. Ubicunque indicativus usurpari videtur, res plane alia est: particula enim quamvis non cum verbo, sed cum adiectivo aut participio aut adverbio sive vicinis sive remotis coniungenda erit, cuiusmodi hi sunt loci: I 435, II 391. 604, III 403. 415 (quem locus Lachmannus ut spurium eiecit) 705. 735, IV 44. 329. 426. 679. 1284, V 882. 1264. Itaque de uno loco, qui est II 668 vix dubitari licebit, quin quamvis aut pronomen sit aut cum vocabulo unam coniungendum. Ex scriptoribus, qui post Ciceronem fuerunt, unum adfero, Livium, quem L. Kuehnastius***) coniunctionem de qua agitur, bis cum indicativo (II 40. 7 ubi conferendus erit Weissenbornius, XXXIII 19. 2), numquam cum coniunctivo coniunxisse adfirmat.

---

*) B. Lupus, der sprachgebrauch des Cornelius Nepos. Berolini 1876 p. 163.
**) Loci sunt lachmanniani.
***) L Kuehnast, die hauptpunkte der liv. syntax p. 244 et 245 not. 154. De usu Plini minoris et Annae

Sed iam ex longiore excursu ad Ciceronem redeo, cuius locum, quem in fronte huius disputationis posui, ita emendandum esse censeo: qui oculis patrem suum numquam viderat. Monendum autem est apographum poggianum eius orationis — B. ten Brinki sunt verba in novae Mnemosynes II (1874) p. 80 — fluxisse ex codice pervetusto, lacero et corrupto, saeculi undecimo superstite, cuius notas, siglas, cetera litterarum compendia, cum non amplius intellegerent librarii, quae legere poterant describebant, quae legere non poterant, ea suo more, id est perverse, explicabant, interdum omittebant. Omitti quidem posse vocem oculis, cum solum videndi verbum ad sententiam intellegendam sufficiat, patet; neque tamen exempla desunt, quibus probetur locutionem oculis videre, quae nescio quid plebeii, certe vulgaris sermonis redolet, non ita raro inveniri. Saepius enim in comoediis Plautus et Terentius his verbis utuntur atque ita quidem, ut modo addant pronomen aliquod, modo omittant. Atque omittitur pronomen possessivum his locis: Plaut. Merc. 299, Trin. 914, 961. 1071, Mil. gl. 627. 982, Rud. 1067. Additur pronomen apud Plaut. Pseud. 621 Ritschl. 600 Lor. (oculis meis), Terent. Eunuch. 677 (oculis suis), ad quem locum plura congessit Reinhardus. Ex ipso Cicerone hos adscribo locos: in Catil. III 2. 4: cum oculis maleficium ipsum videretis, III 8. 18: ut eos paene oculis videre possemus, pro Mil. 2. 6: nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas; acad. prior. II 33. 105: ut, etiam si possis rationem reddere, cur id eveniat, tamen non possis id verum esse, quod videbatur oculis, defendere.

Restat, ut paucam verba faciam de ipsa B. ten Brinki coniectura: hic illo natus, quamquam vix patrem suum viderat. Praebet enim codex francianus, qui in bibliotheca traiectina servatur, nondum tamen ab Halmio ad crisin in hac oratione factitandam adhibitus est: quam vix patrem suum numquam viderat. Vides sententiam eandem esse, quam emendatio a me prolata habet. Sed ne viri doctissimi vestigia sequerer, impedivit numquam illud, quod unde in relipuos codices inrepserit ne coniectando quidem adsequor.

Cicer. Catil. I 4. 9.

Summa ira incensus Cicero eos increpat, qui una cum Catilina nonis novembribus in M. Laecae domum inruerant eoque adrogantiae processerant, ut in senatu, in orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, adessent deque urbis exitio cogitarent. Pergit deinde: Hosce ego video et de republica sententiam rogo et quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero.

Ita omnes libri manu scripti praeter codicem emmeranum saeculi duodecimi, in quo: et quos iamdudum trucidari oportebat legitur. Qua optima optimi codicis lectione spreta cur editores ad unum omnes vulgatam retinere maluerint nescio. Scribendum videtur: et quos iam dudum ferro trucidari oportebat. Quid enim? Omissis illis vocibus iam dudum parallelismus membrorum plane tollitur. Respondent sibi ferro et voce,

---

Senecae et Taciti, qui, quattuor locis annaeanis exceptis, coniunctionem illam cum indicativo non coniunxerunt, cf. Kraut, ueber syntax und stil des iuengeren Plinius. Programma seminarii Schoenthal 1872 p. 36; CNaegler, de particularum usu apud L. Annaeum Senecam philos. Halis 1873 p. 13 sq.; AGerber, de coniunctionum temporis et de coniunct. concess. quamquam quamvis usu taciteo. Progr. gymnasii Glueckstadt 1874 p. 38 ss.

trucidari et vulnero; deest quod voci nondum respondeat. Simillimi sunt loci I 1. 2: ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat et I 1. 5, qui locus plane gemellus dici potest: verum ego hoc, quod iam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor ut faciam.

Index locorum:

Cicero in Catil. I 4. 9	p. 18 sq.
Lael. 25. 95	p. 12
pro Mur. 13. 29	p. 5
de off. I 29. 101	p. 4
orat. 66. 223	p. 12
de orat. II 2. 5	p. 5
Phil. I 1. 3	p. 3 sqq.
2. 4	p. 6
7. 18	p. 6 sqq.
III 5. 12	p. 14 sqq.
pro Rab. Post. II 4	p. 16 sqq.
de rep. fr. IV 6. 6	p. 12
Tusc. IV 33. 70	p. 3 sq.
in Verr. II 3. 67 et 84	p. 8
116	p. 12
Fronto ad Antonin. imp. II 2	p. 3

Errata:

Pag. 4, 38 lege:	supplendam
5, 8	purgentur
5, 10	de crimine testimoniis eqs.
5, 18	per se ipsa **non** stet
6, 14	dici posse
6. 22 dele:	**ita** ante **sint**
7, 16 lege:	a rege
10, 29	verbum

Im Anschluss an die vorstehende Abhandlung des Herrn Collegen erfüllt der Unterzeichnete die ehrenvolle Pflicht, zu der Donnerstag, den 12. Juli, Vormittags 10 Uhr in der Turnhalle abzuhaltenden Feier des Namenstages unseres Durchlauchtigsten Regentenhauses die höchsten und hohen Behörden des Landes, die verehrlichen städtischen Collegien und alle werthgeschätzten Gönner und Freunde unserer Schule ehrerbietigst und geziemend einzuladen, sowie hiernächst das Programm zu dem Festactus mitzutheilen:

Lobgesang von W. Tschirch.

1) Lateinische Rede des Primaners Alfred Schlotter: De Pericle litterarum et artium fautore.
2) J. Klotz, Tertianer: Frühlingsgruss an das Vaterland von M. von Schenkendorf.
3) F. Sturm, Vorschüler: Das Gewitter von J. Sturm.
4) E. Behr, Sextaner: Versuchung von R. Reinick.
5) J. Heibert, Sextaner: Schwäbische Kunde von Uhland.

Musikstück.

6) Französische Rede des Primaners Alfred Schopper: Ueber den Charakter der provençalischen Poesie.
7) M. Hasse, Quartaner: Der Liebe Dauer von Freiligrath.
8) R. Schütze, Quintaner: Leo et mus.
9) H. Weyse, Quartaner: Des Sängers Fluch von Uhland.

Volkslied: Lang, lang ist's her.

10) Deutsche Rede des Secundaners Woldemar Rosenberg: Ueber Ernst Moritz Arndt.
11) A. Reich, Quintaner: Von des Kaisers Bart von Geibel.
12) W. von Beust, Tertianer: Der Triumphbogen des Marius von Kinkel.

Choral: Mein Schutz ist Gott.

Gera, den 28. Juni 1877.

A. Grumme.